DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIGITALI PURPUREA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUÆDAM
DE
DIGITALIS PURPUREÆ
HISTORIA, USU, ATQUE IN CORPUS
HUMANUM EFFECTIBUS,
COMPLECTENS;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
ROBERTUS GREIG,
SCOTUS,
CHIRURGUS.

VIII. Calend. Jul. horâ locoque solitis.

" *Unumquemque oportet in hoc studio versatum, symbolum*
" *aliquid, utcunque exiguum, in commune Medicinæ æra-*
" *rium contribuere.*"

DUNCANI *Orat. de Laud.* HARVEI.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1809.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO NOBILISSIMO ATQUE PERHONORABILI,

JACOBO HOPE JOHNSTON,

COMITI DE HOPETOUN, BARONI DE HOPETOUN,

ETC. ETC. ETC.

PIETATE, FIDE, HONORE,

VIRTUTIBUSQUE PUBLICIS ATQUE PRIVATIS

ÆQUE ORNATO;

OB BENEFICIA INNUMERA

IN SE SUOSQUE COLLATA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

HOC,

QUALECUNQUE SIT,

OPUSCULUM,

ANIMI GRATI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

ROBERTUS GREIG.

NECNON,

DAVIDI WILLIAMSON

De Balgray, Armigero,

ADVOCATO,

ET COMITATUS STERLINIÆ VICECOMITI VICARIO;

VIRO,

NON MINUS OB ERUDITIONEM PROFUNDAM,

ATQUE JURIS PRUDENTIAM,

QUAM OB VIRTUTES

HOMINEM CIVEMQUE ORNANTES,

INSIGNI;

SIBI AMICISSIMO SEMPER

ET IN PERPETUUM VENERANDO;

OB AMICITIAM, CONSILIA,

BENEFICIAQUE MULTA ACCEPTA,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMI BENEFICIORUM

HAUD IMMEMORIS

MONUMENTUM,

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM,

DE

DIGITALIS PURPUREÆ

HISTORIA, USU, ATQUE IN CORPUS HUMANUM EFFECTIBUS,

COMPLECTENS.

Auctore ROBERTO GREIG.

NUMERUS morborum, quibus obnoxium est corpus humanum, ingens est; nec desunt remedia, quæ, ad curationem eorum, medici diversi, temporibus diversis, in medium protulerunt. Si observationibus omnibus, laudibusque summis quibus tollit unusquisque me-

 dicamentum

dicamentum novum proponens, confideremus, tales morbi, pernumerosi quanquam, minimè curatu difficiles apparerent. Res autem longè aliter sese habet ; et, igitur, quàm necesse fit, vera a fictis secernere, facilè patebit. " Talis verò credulitas atque jactatio, de miris et penè divinis quorundam medicamentorum viribus et excellentiis, quamvis pharmacopolis circumforaneis satis conveniant, et quidèm vulgo hominum facilè condonandæ sint, tamen homine sapiente et erudito, et medico imprimis honesto et ingenuo, adeò indignæ sunt, ut nihil magis ; nimirùm qui benè novit, vel saltem novisse debet, si propriâ ratione propriisque oculis uti velit, nullius, vel levissimi, morbi, existere, aut posse existere, remedium certum et nunquam fallax *."

In paginis sequentibus mihi consilium est pauca de *Digitali purpurea* annotare ; et, quoniam tot tam celeberrimi doctissimique medici,

* Conspect. Medicin. Theoret.

dici, de hac re, a Witheringii tempore ad nostrum usque, scripserunt, nihil novi a me expectari potest; si, quæ, de hoc remedio, maximè notatu digna breviter et perspicuè exponam, vera inter et falsa sedulò semper dignoscens, propositum attingam.

Naturam et effectus remedii tam præpotentis quàm Digitalis investigare, unumquemque medicum, cui generis humani saluti ritè consulere cordi est, animo quàm maximè incumbere oportet; sed omnes ejus dotes plenè indagare, longè hujusmodi opusculi limites excederet: in dissertatione sequenti, igitur, *quàm brevissimè* considerabo;

Primò, Historiam;

Secundò, Effectus in corpus humanum;

Et tertiò, Usum digitalis purpureæ in morbis quibusdam curandis.

CAP. I.

CAP. I.

DE HISTORIA.

Fuchsius in Historia sua Stirpium, anno 1542 edita, primus est qui Digitalis mentionem facit; hoc nomen ei imposuit propter flosculi ejus similitudinem cum *digitali (finger of a glove)* *.

A Fuchsii usque ad Witheringii tempus, digitalis, quamvis virtutes ejus medicorum attentionem haud penitùs effugerant, raró pro remedio porrecta fuit; a quibusdam ad pectoris morbos, epilepsiam, vulnera, et ulcera scrophulosa sanandum, adhibita fuit; ab aliis venenosum,

* Vide Withering "on the Foxglove," p. 14. *Introduction.*

nenosum, et ab omnibus medicamen periculosum habebatur: nec mirandum hoc; nam dosin ejus justam, et rectum præparandi modum, medici ferè omninò ignorabant.

WITHERINGIO celeberrimo ascribendus est honos, hancce plantam, ex obscuritate in quam ceciderat, eripiendi, et ad Materiæ Medicæ locum insignem, quem nunc sibi vindicat, promovendi. Medicus iste peritissimus, exhibitione ferè quotidianâ hujus remedii per decem annos edoctus, tandem, anno 1785, fructus experientiæ atque observationis suæ in lucem edidit; ex quibus clarissimè elucet, viribus diureticis insignibus gaudere digitalem, et in hydropis curatione multùm valere; necnon, in cordis et arteriarum pulsus tardando potestatem mirabilem habere; mentionem quoque facit de usu ejus in phthisi pulmonali, et quibusdam aliis morbis *.

Exemplo

* Vide WITHERING "on the Foxglove."

Exemplo WITHERINGII incitati, alii medici nunc animo incubuerunt naturam et effectus digitalis investigare; et laboribus DARVINII, FERRIARIS, BAKERI, DRAKEI, FOWLERI, BEDDOESII, MACLEANII, CURRIEI, PERCIVALLI, THOMÆ, KINGLAKEI, HAMILTONII, aliorumque medicorum, devincti sumus ob multum informationis, multasque, de hoc remedio, observationes, summi quidem momenti.

De historia botanica Digitalis, vix necesse est ulla annotare. Genus est, species complures habens, quarum una solummodò in insula nostra vulgata; LINNÆI *purpurea* est, et interdum varietatem *albam* præbet. Planta biennis est, et solo arido, glareoso vel arenoso, præcipuè super tumulos obliquos, naturalitèr gaudet; sed in hortis quoque excoli potest, virtutibus ejus parùm imminutis. Mensibus Junii et Julii florescit.

Digitalis, a LINNÆO, ad classem 14^{tam}, ejusdemque ordinem 2^{dam}, videlicet, *Didynamia Angiospermia*, collocatur.

Congenera

Congenera, in methodo naturali, Hyoscyamum, Nicotianam, Solanum, &c. habet *.

---

* Vide WITHERING "on the Foxglove." *Introduction.*

CAP. II.

CAP. II.

DE DIGITALIS PURPUREÆ EFFECTIBUS IN CORPUS HUMANUM.

Effectus digitalis intrinsecùs adhibitæ pro ætate, sexu, temperamento, &c. variant: dotibus quibusdam insignibus, et, uti videtur, inter se discrepantibus, gaudet; nam, plurimis in exemplis, eodem tempore quo cordis et arteriarum pulsus tardat, vasorum absorbentium actionem, et urinæ fluxum, modo mirabili auget. Si manu nimis largâ adhibeatur digitalis, sequuntur nausea, vomitus, alvi purgatio, vertigo, capitis dolor, visûs hebetudo, pulsûs tardatio et irregularitas, urina aucta, delirium, singultus, convulsiones, collapsus, mors.

Hic

Hic loci haud alienum erit memorare, quod ad effectus hos lethales præcavendos, remedia maximè idonea sunt stimulantia atque cardiaca. Opium, medicamenta aromatica, spiritus ardentes, et præsertim acida vegetabilia, ab auctoribus commendata sunt *.

De potestate quam in cor arteriasque exercet digitalis, clarissimus Doctor FERRIARIS verba habet sequentia: "If any man had expressed an opinion, a few years ago, that we should discover a medicine, capable of reducing the pulse, without danger, from 120 in a minute to 75 or 80, at the will of the practitioner, he would have been ridiculed as a visionary. Such, however, under proper management, is the power of digitalis †." Hæc sententia certè nimis lata est, et quamvis haud cum illa consentire possumus, tamen in WITHERINGII sententiam

B leniorem

* Vide WITHERING; HAMILTON "on Digitalis;" —"Edinburgh Dispensatory."

† Vide FERRIAR "on Digitalis Purpurea," p. 5.

leniorem imus, "that it (digitalis) has a power over the action of the heart to a degree yet unobserved in any other medicine, and that this power may be converted to salutary ends *." Confitemur autem hancce potestatem pulsûs micationes tardandi, haud semper, quamvis in multò majore casuum parte, exerceri.

Cordis et arteriarum pulsationibus tardatis, nemo est qui dubitat, irritabilitatem systematis, quoque, ab actione digitalis, minui.

Effectus diuretici hujusce plantæ, interdum quidem mirabiles, tametsi haud universaliter, observantur. Sed hæc observatio ad totam diureticorum classem applicari potest; nulla enim medicaminum classis, quod ad effectus suos proprios edendos, magis incerta est: Medicis omnibus benè cognitum est, diuretica quædam, parvi quidem nominis, interdum exitum felicem producere, postquam alia, quæ pretii

* Vide WITHERING "on the Foxglove," p. 192.

pretii multò majoris habuimus, frustrà tentata fuerint.

Alvi purgatio interdum sub usu digitalis oritur, et hac præsente, effectus diuretici minùs conspicui sunt.

Viribus quibusdam narcoticis pollere digitalem, nos certiores facit Doctor BEDDOESIUS, cui, actionem et effectus hujus remedii inter et opii, similitudo magna constare videtur; immò dicit, quod postquam opium aliaque narcotica usitatissima ad somnum conciliandum parùm valuerint, sese, usu tincturæ digitalis purpureæ, facilè inductum invenîsse; et, igitur, quando ab idiosyncrasia, vel ulla alia causa, opium præscribi nequeat, auctor hic celeberrimus, vice ejus, usum digitalis commendat*; sed, ni fallor, extractum hyoscyami nigri, in talibus casibus, votis nostris multò meliùs respondere invenietur.

Nausea a digitali excitata naturæ quàm maximè injucundæ esse dicitur, et sensatione apud

* Vide BEDDOES "on Consumption, Digitalis, and "Scrofula," p. 200.

apud ventriculum peringratâ comitatur. Hæc a nausea ab aliis medicamentis inducta longè differt; cessat, redit; et ita per dies tres vel quatuor, intervallis longis longioribusque, redire perstat *.

Ad nauseam removendam, aromatica, spiritus ardentes, et similia, maximè valent.

"These sufferings of the patient," dicit WITHERINGIUS, "are generally rewarded by a return of appetite, much greater than what existed before the taking of the medicine †."

Interdum, sub usu digitalis, effectus suprà memorati in corpore accumulant, et subitò exque improviso grassantur, debilitatem magnam periculosamque gignentes ‡. Ad hoc præcavendum,

---

* Vide WITHERING "on the Foxglove," p. 184.; etiam MACLEAN "on Digitalis, in Medical and Phy-"sical Journal," vol. ii.

† Page 184.

‡ Audi Prælectiones GREGORII nostri de Phthisi Pulmonali, 1807,–8.

vendum, medici est diligenter vigilias obire, et quamprimùm afficiuntur vel ventriculus, renes, pulsus, vel intestina, medicamenti usus, pro re nata, vel omitti, vel intermitti debet.

Effectus digitalis, semel inducti, haud citò evanescunt, sed per dies aliquot manent.

Quantum hujusce medicaminis ad effectus proprios producendum sit necessarium, valdè incertum est, et in casibus variis variabit. De hac re dicit celeberrimus WITHERINGIUS; "About thirty grains of the powder, or eight ounces of the infusion, may generally be taken before the nausea commences *."

De Digitalis purpureæ Præparatis atque Dosibus.

OMNIS hujusce plantæ pars gustui amara et nauseosa est; sed folia solummodò apud nostrates in usu sunt: carpenda sunt tempore quo flosculi

* Vide WITHERING "On the Foxglove," p. 182.

flosculi germinare incipiunt*, et more solito exsiccanda. Folia siccata administrantur vel sub forma pulveris, tincturæ, infusi, vel decocti. Remedium, cujus dosis plenissima vix grana duo vel tria excedit, concentratione non eget; succus expressus et extractum, igitur, formulæ minimè idoneæ sunt.

In medicina nihil magis incertum est quàm medicamenti dosis justa. Dosis justa certè quantitas illa est, quæcunque sit denominatio ejus numerica, quæ finem optatum producit. Sed solummodo appellatio relativa est; nam illa medicamenti dosis, quæ in uno nullos, in altero effectus quàm maximè violentos interdum edit; prudentia igitur dictat, in remediis potentibus exhibendis, cum dosibus parvis incipere.

Ferriaris casum enarrat, in quo semigranum pulveris digitalis siccati, cum opii semigrano conjunctum, vomitum syncopenque induxit:

---

* Vide Withering "On the Foxglove," p. 181.

duxit: dicit autem sese suspicatum habere, majorem medicamenti quantitatem exhibitam fuisse.

Pulvis siccatus, vel per seipsum, vel cum medicamentis quibusdam aromaticis conjunctus, vel in pilulas cum sapone vel gummi ammoniaco formatus, administrari potest. Dosis ejus modica adulto, ei non assueto, est semigranum vel granum bis in die, gradatim augenda, donec apparent effectus.

Infusi semuncia vel uncia, bis in die, pro dosi detur. Ad effectus diureticos producendos, pulvis et infusum aliis formulis præstant *.

Tincturæ guttæ x., xv. vel xx. bis in die sumendæ, et sensim augendæ sunt. Ad pulsus cordis et arteriarum tardandos, viresque narcoticas exerendas, hæc præ aliis formulis valere fertur.

Decoctum quod ad vires variat, valdèque incertum est, igitur rejiciendum.

Si

* *Vide* Maclean "On Digitalis. Med. and "Physical Journal," vol. ii. p. 121.

Si sub usu digitalis adsit alvi purgatio, opium, et si constipatio, jalapà, illacum benè conjungi potest *.

De Digitalis operandi modo.

STIMULATne an Sedat digitalis inter medicos disputatum fuit; sed quoniam lis adhuc sub judice, mihi consilium est, hanc rei propositæ partem quàm brevissimè considerare.

Hujus medicamenti operandi modus duplex est. Dum tardantur pulsûs micationes, cor arteriæque sedari; dumque augetur urinæ copia, systema absorbentium vel renes stimulari videntur. An *primariè* cor arteriasque sedat digitalis? Huic quæstioni respondeo, "Aquâ mihi hæret." Attamen, *si stimulat* (quod multùm dubito), omnibus confitendum est, effectus sedativos multò majores esse, quàm ab excitatione priore oriri unquam expectare possumus.

Theoria

* Vide WITHERING "On the Foxglove," p. 182.; etiam, "Edinburgh Dispensatory."

Theoria nulla, quam de remediorum operandi modo habemus, facilè vel satis accuratè, effectus digitalis contrarios et discrepantes explicat. Ab effectibus hujus remedii, verisimile videtur, unam corporis partem stimulari, alteramque sedari posse, eodem tempore, et ab eodem medicamine. Hoc, quamvis vix explicare possumus, summi est momenti cognoscere.

CAP. III.

DE DIGITALIS PURPUREÆ USU IN MORBIS QUIBUSDAM CURANDIS.

In omnibus mundi ævis, præjudicium et ignorantia usum generalem remediorum præpotentium, pro tempore saltem, impediêre; sed tempore progrediente, et cautelis, ad rectam eorum exhibitionem necessariis, meliùs cognitis, omnia quæ obstant removenda sunt. Multa remediorum nostrûm optimorum, malè vel incautè exhibitûm, acria sunt venena: sed hoc nequaquam usum eorum vetat; plus solummodò medici attentionis et vigilantiæ requirit. Sed etiam hodie extant nonnulli medici, qui digitalem præscribere hæsitant, testimonio auctorum multorum, haud parvi quidèm

dèm nominis, de bonis ejus effectibus in morbis quibusdam sublevandis, non obstante.

Dotibus quibusdam insolitis gaudere digitalem, summamque prudentiam in exhibitione ejus necessariam esse, satis constat; sed ab auctorum observationibus etiam satis superque constat, majorem hanc medici attentionem, medicaminis utilitate, sæpè amplè remunerandam fore.

De Digitalis exhibitione in Phthisi Pulmonali.

Opus tristissimum et peringratum est, hujus vulgatissimi, formidulosissimi, et perlethalis morbi, historiam retractare. Numerus eorum qui victimæ illius cadunt, ingentissimus est, et singulis annis crescit * : tentamen unumquodque,

---

* Vide "Observations on the Increase and Decrease of different Diseases, by Wm. Heberden *junior*." Etiam dicit Beddoesius, "I perpetually find consumption attacking new families; nor does it appear to cease equally in old ones, unless indeed by rendering them extinct."

Beddoes' Hygëia, vol. ii. p. 21.

unumquodque, igitur, vel frequentiam, vel phthiseos pulmonalis naturam lethalem, diminuere, quàm maximè laudabile est.

In materia medica nullum ferè extat medicamen quod non, progressu temporis, ad hunc morbum curandum tentatum fuit; nuper autem digitalis multùm, et non sine causa, commendata; cognitâ facultate ejus pulsûs micationes tardandi, et irritabilitatem systematis minuendi, haud mirandum est, quod ad curationem phthiseos pulmonalis applicata foret.

In remediis exhibendis, medicum decet certum quemdam finem semper in conspectu habere. Ingeniosus Doctor DARVINIUS usum digitalis in phthisi pulmonali commendavit ad pus absorbendum, et ita ulcera in pulmonibus existentia sanandum *: posthac, clarissimus Doctor FERRIARIS proposuit, propter potestatem ejus mirabilem cordis et arteriarum pulsus tardandi.

An

* Vide "Medical Transactions," vol. iii. p. 275.

An puris absorptionem promoveat digitalis, mihi dubium videtur ; sed arteriarum actione minutâ, minore copiâ secernetur pus.

Celeberrimus Doctor DRAKEIUS quindecim casus memoravit, in quibus digitalem præscripsit, et cum exitu sanè felicissimo. Horum quatuor in stadio primo vel incipienti, et undecim in purulento fuerunt : quatuor qui in stadio morbi incipienti, et quinque eorum in purulento, ad sanitatem restituti fuêre ; quinque mortui sunt, et casûs quindecimi eventus incertus, tempore quo hæc ratio reddita fuit *.

Doctor FOWLERUS quoque testimonium perhibet utilitati hujus medicamenti in phthisi pulmonali curanda et levanda.

Exitum verò felicem vix expectandum, et sine exemplo, expertus est Doctor MAGENNIS, qui digitalem septuaginta et septem phthisi pulmonali laborantibus, quorum quinquaginta et tres in stadio morbi purulento fuêre, et viginti

* Vide "Medical and Physical Journal," vol. ii. p. 268.

ginti et quatuor in incipienti, exhibuit. Horum quadraginta et quinque ad sanitatem restituti fuerunt, viginti et duo multùm levati, et decem solummodò mortui sunt * !!! Omnes hi ægrotantes nautici et classici fuerunt; propter modum priorem vivendi, igitur, et naturam victûs atque vestitûs eorum, certè exitus felicior a his quàm a pauperibus expectari potuit; sed multùm dubito si exitum tam felicem unquam iterum experiemur.

Laudes, quas huic medicamento affert Doctor BEDDOESIUS, omninò immodicæ sunt, et tales quales nec sua, nec aliorum, experientia sancit †.

Peritissimus

---

* Vide "Medical and Physical Journal," vol. v. p. 204.

† Vide BEDDOES's "Essay on the Causes, &c. of Consumption," 1799; ubi verba habet sequentia: "An effectual remedy for consumption appears to have been nearly ascertained." Et iterum: "I daily see many patients in this disease advancing towards recovery with so firm a pace, that I hope consumption will henceforward as regularly be cured by the Foxglove, as Ague by Peruvian Bark." Has sententias nunc aliquatenus retraxit.

Peritissimus Doctor MACLEANIUS observat, phthisin pulmonalem tuberculosam interdum digitali sanari, postquam alia remedia usitatissima nihil valuerint; et, si per seipsam ad morbum curandum inepta, tamen aliis remediis auxilium præpotens foret; necnon, quod etiam in stadio primo potestates ejus limites haberi: sed medicamen, a quo talia expectanda, haud parvi æstimandum est.

Pensum facilè peractu esset multos phthiseos pulmonalis casus, memoriæ proditos, enumerare, in quibus digitalis cum *felice*, et plures in quibus cum exitu *infelice*, exhibita fuit; sed vix necessarium videtur.

Opinio nostra est, quod si exitus felix ab digitalis purpureæ usu in phthisi pulmonali expectandus, ferè solummodò in stadio primo vel incipienti sit; nam, quamvis haud desunt exempla morbi in stadio provectiore curati, tamen rara sunt: confitendum est autem, quod tametsi morbus in hoc stadio raró curandus, symptomata ejus sæpè multùm levari, et vitam ipsam, pro tempore, proferri posse; sed, pulmonibus

monibus latè exulceratis, multùm vereor, ni hoc omniaque alia remedia, plerisque in exemplis, æquè inutilia inveniantur. Quò citiùs, igitur, applicatur remedium, eò utiliùs.

In familiis huic morbo hæreditariè obnoxiis, hoc quasi medicamen prophylacticum, multùm commendat celeberrimus Doctor CURRIEUS.

In exhibitione digitalis purpureæ ad phthisin pulmonalem curandam, maximi est momenti, pulsûs micationes tardentur; ni efficiatur hoc, omnes inter medicos convenit, parum boni ab usu ejus expectandum esse: sed pulsu tardato, irritatio pulmonum, expectoratio, et corporis calor præternaturalis minuuntur, et major est probabilitas reconvalescendi.

Tinctura digitalis purpureæ aliis formulis præferenda est, quia plus in cor arteriasque potestatis exercet. Sub initio, sit dosis ejus guttæ x. ter in die, gradatim augenda, guttâ unâ singulis dosibus, singulis diebus, additâ; et continuetur donec evenerint effectus. Pulsu tardato, minuatur dosis. Vix suadendum

est

est pulsum infra micationes 60 vel 50 minuti spatio redigere; et temporis longinquitas, per quam ad hunc gradum tenendus est, pro re nata, variabit: in usu medicaminis perseverandum est semper donec, et etiam per breve tempus postquàm, curatur morbus.

Quando pulsûs celeritatem examinare volumus, corporis posituram ritè perspectam habeamus, necesse erit; nam, prout hæc variat, variant et arteriarum micationes. Exemplum tradit Doctor BEDDOESIUS, in quo dum æger sedebat, pulsus octogies et regulariter, sed cùm in cubiculo decumbebat, sexagies et irregulariter, minuti spatio, micavit *.

Casus a Doctore CRAUFORDIO enarratur, in quo pulsus undequinquagies, minuti spatio, dùm æger in cubiculo quiescebat, et nonagies dùm sedebat, micavit †.

Doctor BAILDON exemplum sui ipsius refert, in quo dum erectus stabat pulsus centies,

D dum

* Vide "West Country Contributions," p. 532.

† Vide BEDDOES "on Consumption," &c. p. 168.

dum sedebat septagies et quinquies, et dum decumbebat quadragies, minuti spatio, micavit: dicit quoque sese eandem rem, in omnibus quibus digitalem exhibuit, observâsse *.

An hoc digitalis actioni, magis quàm corporis debilitati, ascribendum sit?

Quando per se digitalis ægro injucunda est, vel pulsûs celeritatem haud diminuit, Doctor BEDDOESIUS suadet nos vel opium, medicamenta amara, vel scillam maritimam, cicutam, vel hyoscyamum, illacum conjungere; et dicit sese exempla quædam phthiseos pulmonalis hoc modo curata vidisse, postquam per se digitalis parùm valuerat: in talibus casibus Humulus Lupulus a quibusdam commendatur †.

Eodem tempore quo digitalem ad hunc morbum curandum adhibemus, cœlum, diæta, ves-

titus

---

* Vide "Edinburgh Medical and Surgical Journal," vol. iii. p 271.

† Vide HAMILTON "on Digitalis," p. 142.

titus et exercitatio propria haud negligenda sunt.

Cœlum modicè calidum, et temperaturæ mutationibus quàm minimè obnoxium, seligendum est. Si ab ulla re peculiari, æger ad clima calidum *naturale* transferri nequeat, *artificiale* formetur, a quo multum commodi sæpè derivatur. Conclavia duo ad gradum 62^dum. therm. Fahrenheit. calefacienda, et ad hancce temperaturam constanter servanda, in quibus ægro manendum est*.

Diæta modicè nutriens, ex lacte, farinaceis et frugibus præcipuè confecta, administrari debet; sed in stadiis provectioribus, vel quando adest debilitas magna, diæta magis nutriens, ad corporis vires sustinendas vel reficiendas, necessaria est.

Ad effectus frigoris externi præcavendum, et temperiem equabilem servandum, corpus cum panno laneo obduci debet.

Exercitatio

* Audi Prælectiones GREGORII nostri de Phthisi Pulmonali, 1807,-8.

Exercitatio modica in aëre aperto, sæpè, in hoc morbo, quàm maximè utilis est. Ambulatio, vel varia gestationis genera, in equo, rheda, vel navi, quodcunque ægro gratissimum vel commodissimum, utenda sunt. Horum SYDENHAMIUS celeberrimus equitationem aliis longè anteposuit; sed a medicis hodiernis, navigatio pretii maximi habetur. Corporis *jactatio pensilis* nuper, a clarissimo Doctore CARMICHAELE SMITHIO, multùm, ad phthisin pulmonalem curandam atque levandam, commendata fuit.

Oportet me, huic rei propositæ parti finem impositurum, confiteri, expectationes meas de viribus digitalis purpureæ in hoc morbo sanando, nisi sub initio exhibitæ, haud multùm commoveri. Cum FERRIARIS sententia, nostra consentanea est *.

De

* FERRIARIS, casum Phthiseos Pulmonalis enarrans, in quo digitalis, quamvis pulsum tardavit, morbum non levavit, verba habet sequentia: "I could add a long list of instances similar to the last, but it would

De Digitalis exhibitione in Hydrope.

Affectiones hydropicæ, in quacunque parte corporis sitæ, non minùs ob frequentiam quàm ob effectus earum lethales, classem morborum

---

would consume the reader's time to no purpose, for the result of my experience may be told in a few words; it is, that the patient's ultimate recovery is not to be confidently expected, even when the pulse is reduced in velocity, and the symptoms are evidently mitigated, for a time, by the action of the medicine. Many disappointments have taught me not to be elated by one or two instances of success, and I should deceive the public, if I presented to them only examples of fortunate practice. I believe that digitalis, properly administered in the beginning of phthisical affections, may suspend the morbid action of the lungs by which tubercles are formed, that by its continued exhibition after hemoptysis, it may be possible to procure the cicatrization of the ruptured vessels, and thus to prevent the formation of ulcers; and I am even disposed to hope that its power of soothing irritation may extend so far, as sometimes to heal ulcerations of the lungs, in the advanced stage of consumption. A remedy from

borum summi quidèm momenti, et quàm maximè periculosam, formant. Inter remedia varia quæ ad hydropis curationem proposita fuêre, *diuretica* meritò pretii magni habentur: sed si viscera morbo laborent, evacuatio fluidi effusi, quam efficiunt medicamenta diuretica, pro tempore tantùm morbum levabit: in talibus casibus, igitur, priusquam efficitur cura, origo mali subvertenda est.

Virtutes antihydropicæ digitalis a viribus ejus diureticis pendent. In hydrope si viscera sana sint, hocce medicamen, per se, sæpè curam efficiet; sed, si morbus ab affectionibus organicis originem ducat, curatio multò difficilior

---

from which these expectations may be indulged, is of unspeakable value, and deserves the strictest attention of the physician. But, at present, I dare not suppose that many cases of confirmed consumption will be cured by it; for the extensive mass of disease, generally apparent in inspecting the lungs of phthisical subjects, and the strange formation of new morbid parts discoverable in it, would require for its amelioration an effort of the power which originally created the living body."

FERRIAR "on Digitalis," p. 27.

ficilior erit, et, unà cum digitali, hydrargyrus, vel, pro re nata, alia remedia adhibenda sunt.

In *Hydrothorace*, plùs quàm in ulla alia hydropis specie, digitalis valere fertur. Celeberrimus WITHERINGIUS dicit, hunc morbum ferè universalitèr a digitali curatum esse *. Operatio remedii fausta, in plurimis casibus, certè celerrima et quidèm mirabilis est.

Infusum vel pulvis siccatus digitalis aliis formulis præstant, et more solito, in dosibus sensim augendis, adhiberi debent. Quamprimum supervenerint effectus, medicamen omittendum est; nam, si urina semèl aucta fiat, generalitèr copiosè fluere perstat, donec totum fluidi effusi evacuatur. Cùm nausea vel pulsûs tardatio primò evenerint, his abeuntibus, si non citiùs, urina plerumque augetur. Si fluere desinat urina priusquam aqua effusa omninò evacuatur, pro re nata repetatur medicamen.

Si

* Vide WITHERING, "Practical Remarks on Dropsy," p. 200.

Si purgetur alvus, effectus diuretici minùs conspicui, et spes curationem ab usu digitalis efficiendi minor est: re ita se habente, opium eodem tempore adhiberi debet.

Quoniam effectus digitalis, et etiam totius diureticorum classis, valdè incerti sunt; et quoniam diuretica quando *felicitèr* etiam *celeritèr* agunt; igitur, nec hoc, nec ullum aliud medicamen diureticum *diu* exhiberi debet, nisi effectus ejus citò conspicui sunt.

Effectus diuretici digitalis diluentium usu libero promoventur. Spiritus ætheris nitrosi non solùm vires diureticas auget, sed etiam effectibus digitalis in ventriculum obviam it*.

Quando per se digitalis ad morbum curandum inepta est, priusquam usum ejus omninò rejiciamus, haud inutile invenietur, illam cum aliis diureticis conjungere, sicut Scilla maritima, Supertartrite Potassæ, &c. sed Sub-murias Hydrargyri, qui effectus omnium diureti-corum

* Audi Prælectiones HOMEI nostri de Digitali, 1806–7.

corum auget, aliis anteferendus. FERRIARIS illiscum pulverem ipecacuanhæ et opii solebat conjungere, et, ut ait, haud sine fructu.

In *Ascite*, WITHERINGIUS dicit, si abdomen tensum, durum et circumscriptum sit, vel in *Anasarca* si crura solida et resistentia sint, parum boni ab digitalis usu expectandum esse; sed, è contrario, si pulsus debilis vel intermittens, facies pallida, labia livida, cutis frigida, et abdomen tumidum, molle, et fluctuosum sint, vel in anasarca si crura digiti vestigium retineant, effectus diuretici, cum exitu felice, expectandi sunt.

Hydrops pectoris, vel cum, vel sine anasarca, sæpiùs quàm abdominis digitali curatur, quia in ascite viscera abdominalia in genere morbo laborant. In talibus casibus, igitur, hydrargyrus, ad originem mali subvertendum, adhiberi, et digitalis, vel scilla maritima, vel supertartris potassæ, eodem tempore administrari debet. Si extat hydrops generalis, curationis spes minor erit.

In anasarca scarlatinam sequente, WITHERINGIUS dicit, sese digitalem remedium certissimum invenisse.

In *Anasarca Pulmonum*, qua cum haud rarò stipantur asthma, et aliæ pectoris affectiones chronicæ, digitalis quàm maximè utilis est.

In hydrope eodem tempore quo fluidum effusum evacuare conamur, necesse est, diætæ nutrientis et medicamentorm roborantium usu, corporis vires reficere.

In *Palpitatione Cordis*, vis qua prædita est digitalis cordis actionem tardandi, ægro sæpè multum levaminis affert, et efficit, ut quod de vitæ curriculo superest magis placidè peragatur, et interdum ad tempus longius protrahatur.

De Digitalis exhibitione in Pneumonia.

HAUD omninò inter medicos convenit quantùm ad pneumoniam curandam valeat digi-

talis

talis; quidem usum ejus commendant *, dum alii vetant †.

Mihi videtur, digitalem in omni stadio morbi indicatam esse; in primo ad pulsûs micationes tardandas, et in stadio provecto ad absorptionem promovendam, si acciderit effusio; si non, ad tussem levandam, et statum pulmonum irritabilem, qui sæpè hunc morbum sequitur, auferendum. Sed, quoniam hocce medicamen, nisi in dosibus immoderatis et periculosis assumptum, effectus tam tardè edit, et morbus cursum tam velocitèr peragit, ad alia remedia paratiora confugiendum est. Horum, sanguinis detractio longè optima est, et igitur quamprimùm efficienda: eodem tempore epispastica, expectorantia, purgantia et similia, adhibenda sunt.

Sed quando pneumonia in his qui naturâ infirmi sunt, vel in hydropem proclives, occurrit,

---

* Ferriar, Mossman, Currie, &c.

† Beddoes, Kinglake, &c.

currit, vel in casibus quibus sanguinis detractio copiosa et iterata corpus multùm debilitaverit, morbo adhuc urgente, venæsectio remedium valdè ambiguum videtur: in talibus exemplis, vel quando ob adipem, vel exiguitatem naturalem, venæ scalpello secari non possunt, mihi videtur, morbi curationem, sanguinis detractioni topicæ, digitali, epispasticis, expectorantibus, catharticis, et similibus, confidendam esse.

Quis opinioni medici illius peritissimi atque celeberrimi, Doctoris CURRIEI, assentire recuset? "Digitalis does not indeed supersede the use of the lancet in these diseases (Phlegmasiæ), but it diminishes the extent to which it is required; and it may be used with safety and success in cases where the lancet can no longer be employed *."

De

---

* Vide "Medical Reports," vol. ii. p. 420.

De exhibitione Digitalis in Hæmorrhagia.

In variis Hæmorrhagiæ activæ speciebus, hocce medicamen, propter facultatem ejus pulsûs micationes tardandi, exhibitum fuit; sed, quoniam viribus diureticis gaudet, utile etiam in talibus casibus quasi evacuans sese præbere potest. Attamèn quia in plerisque morbis hujusce generis, systema in statu plethorico est, et effectus digitalis haud subitò apparent, alia remedia paratiora, veluti evacuantia et astringentia, plerumque necessaria invenientur. Easdem ferè observationes, quas de digitalis exhibitione in pneumonia suprà protulimus, in hæmorrhagia applicare possumus.

In *Hæmoptysi*, si pulsus frequens validus et durus, et corpus plethoricum, sit, venæsectio, purgantia, acidum sulphuricum aliaque refrigerantia, et præcipuè regimen antiphlogisticum, necessaria erunt; et, si hæc haud citò curationem

curationem efficiant, digitalis mihi tentatu digna videtur.

Sed, in quibusdam hujus morbi casibus, æger adeò debilis est, ut evacuantium, et venæsectionis præcipuè, usus, si non omninò prohibitus, certè quàm maximè dubius fit: talibus in exemplis, digitalis exhibitio haud dubia videtur.

In *Menorrhagia* cum actione vasculari aucta, Ferriaris dicit, sese digitalem ad curationem efficiendam quàm maximè utilem expertum esse. Unà cum opio, in dosibus semigrani singulorum, bis, ter, quaterve, in die, vel etiam frequentiùs, sicut urgebant symptomata, repetitis, exhibere solebat.

In quibusdam hujus morbi exemplis, præcipuè sub initio, venæsectio et regimen antiphlogisticum necessaria esse possunt; sed quoniam, progrediente morbo, debilitas magna sæpè supervenit, venæsectio remedium ambiguum fit. Si diæta parca et refrigerans, exhibitio acidi sulphurici vel super-sulphatis

aluminæ

aluminæ et potassæ, laxantia ad constipationem removendam, corporis positio horizontalis, frigus genitalibus applicatum imæque abdominis parti, et astringentia per vaginam injecta, curationem perficere nequeant, adhibeatur digitalis.

In *Hydrocephalo Interno* digitalis a quibusdam medicis commendata fuit: sed dolendum est, hoc, aliaque remedia, in multo majore casuum parte, æquè inutilia inveniri.

Verisimile est hunc morbum haud tam lethalem fore, si remedia idonea tempestivè adhibita fuerint. Sed, sub initio hydrocephalus sæpè cum dentitione, vermibus intestinorum, vel febri leni confunditur, et tempus idoneum ad morbum curandum ita dimittitur.

In morbo tam periculoso nihil intentatum reliquendum est; igitur, si remedia usitata curationem perficere nequeant, ad digitalem confugiendum est: in stadio primo, vim circuitûs sanguinis minuendo, et in provectioribus, qua diuretica, utilis esse potest.

Ad

Ad *Maniæ* curationem digitalis a medicis nonnullis proposita fuit, sed experientia hodierna vires ejus non confirmat.

FINIS.